

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3798

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Pierre de la Broce, chambellan, Langes (seigneur), Damville (seigneur)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1275, décembre

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [III], roi de France, accorde à son chambellan Pierre de la Broce, seigneur de Langes et Damville, et à ses héritiers, tous les droit de toute sa terre de Damville et de Charnelles à tenir du roi en fief et à hommage lige.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 860, p. 202.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod nos dilecto cambellano et fideli nostro p. de Brocia, domino Langesii et Danville, quem devotionis et promptitudinis zelum ad nos habere et gerere per experienciam cognoscimus, dum grata nobis impendit obsequia, et nostras utilitates sollicite procurat, concedimus tanquam benemerito, ut tam ipse quam sui heredes legitimi de suo corpore procreati vel procreandi in tota terra sua de Danvilla et de Charnellis, Ebroicensis diocesis, quam de nobis ad unum feodum et homagium unum tenet, et earum pertinentiis et appendiciis universis, habeant de cetero altam et bassam justiciam omnimodam, atque spate placitum et quecumque ad placitum spate pertinent vel possunt quomodolibet pertinere, et quod nemus quod idem Petrus habet juxta Damvillam vocatum vulgariter le Tailleiz absque tercio et dangerio amodo possint vendere libere, quando et quociens eis placuerit, nostra vel successorum nostrorum licentia non petita, et generaliter quicquid habemus in ipsa terra, preterquam focagium, resortum et homagium ipsius Petri et successorum suorum necnon exercitum et cavalcatum, tertium quoque et dangerium aliorum nemorum, ballum etiam seu custodiam illorum qui tenebunt predicta in posterum, cum ibidem acciderit, que expresse retinemus, hoc excepto quod liberi dicti Petri et ejus nepotes descendentes recta linea ab eodem in ballum seu gardam nostram aut successorum nostrorum incidere aut venire seu esse non cogantur ratione predictorum, set usque ad terciam progeniem de hoc sint liberi penitus et exempti, ita tamen quod in personis pronepotum dicti Petri ac deinceps ballum et gardam ratione premissorum, ut prius, habeamus, salvo jure in omnibus alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, mense decembris.